





~~112~~

M-o. 167



C. Geffenio.

H03



LECTIÖNVM VARIANTIVM  
IN  
ARTE AMATORIA OVIDII  
ET CODICE HELMSTADIENSI

EXCERPTIVM

SECUNDE

VIRIS

CLAUSIVM ET DOCTISSIMIS  
GEOFFR. ANT. CHR. SCHEFFLER

PROFESSORIS PRAECEPTORIS ET DIRECTORIS PRAEDAGOGICI

SEMINARII PHILOLOGICO-PRAEDAGOGICI

HELMSTADII

AVT

IO. ADOLPHO MARTENS

DVC. LINGVAE PHILOLOGIAE PRAEDAGOGICI ET LINGVAE

GRAECAE PROF. ACUM LINGVAE GALLICAE

ET SOCIETATIS REGIAE ACADEMICAE

HELMSTADII AD EPISTOLAS

CVM GRATVLATIONE

EDITIONE IN SEMINARIO PHILOLOGICO-PRAEDAGOGICI

HELMSTADII ANNO DOMINI MDCCCXXXV

ANNO DOMINI MDCCCXXXV

NUMERO

SEMINARII PHILOLOGICO-PRAEDAGOGICI

HELMSTADII

ANNO DOMINI MDCCCXXXV

AVT ANTI. LUDOV. ERDENSTICKER.

PROFESSORIS PRAECEPTORIS ET DIRECTORIS

SEMINARII PHILOLOGICO-PRAEDAGOGICI

HELMSTADII

HELMSTADII







LECTIONVM VARIANTIVM  
IN  
ARTE AMATORIA OVIDII  
EX CODICE HELMSTADIENSI  
EXCERPTARVM  
SPECIMEN I.

---

VIRIS  
CLARISSIMIS ET DOCTISSIMIS  
GEORG. ANT. CHR. SCHEFFLER  
DVCALIS INSTITVTI PHILOLOGICO - PAEDAGOGICI  
COLLABORATORI AC BIBLIOTHECAE ACAD. IVL.  
CAROL. CVSTODI

ET  
IO. LVDOLPHO MARTENS  
DVC. INSTIT. PHILOLOGICO - PAEDAGOG. COLLEGAE  
ORDINARIO BIBL. ACAD. IVL. CAROL. CVSTODI  
ET SOCIETATIS DVCAL. TEVTONICAE  
HELMST. AB EPISTOLIS

CVM GRATVLATIONE  
SYMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM  
A. D. III. CAL. DEC. A. R. S. CIOIOCCCLXXXVI.  
AB IISDEM IMPETRATORVM  
NOMINE

SEMINARII PHILOLOGICO-PAEDAGOGICI  
OBLATVM  
AB AVCTORE

IO. ANT. LVDOV. SEIDENSTICKER.  
HANNOV. IVRIS VTRIVSQ. CVLTORE  
SEMIN. PHIL. PAED. COLLEGA.

---

HELMSTADII  
TYPIS IO. HENR. KÜHNLINI.

*ex Donat. au*



NOMINA  
RELIQVORVM COLLEGARVM  
SEMINARII PHILOLOGICO-PAEDAGOGICI.

---

*Io. Henricus Seidenstückker*, Schwarzb. Theol. Cultor, in Paedagogio Praeceptor Ordinarius.

*Io. Iulius Benedictus Pabst*, Brunov. Theol. C. in Paedagogio Praeceptor Ord.

*Carolus Fridericus Dürking*, Brunov. Math. et Cameral. C. in Paedagogio Praeceptor Extraord.

*Augustus Wilhelmus Fridericus Meyer*, Brunov. Iuris utr. C.

*Io. Henricus Elias Meyer*, Brunov. Iuris utriusque C. in Paedagogio Praeceptor Extraord.

*Fridericus Philippus Wernerus Kroll*, Brunov. Theol. C. in Paedagogio Praeceptor Extraord.

*Io. Nicolaus Ludovicus Hoerstel*, Brunov. Theol. C.

*Carolus Gustavus Rentzel*, Hamburg. Math. C.

---

57




---

**S**erenus ille singulis ànnis dies  
Nobis redit, quo nos amoris vinculum  
Coniunxit arcius. Fauens tunc plausibus  
Verbisque gratulantibus stabat Fides  
Juxta latus VESTRVM, ligata vincula  
Perennitate fanciens. Quis nostra, quis  
Tunc permeabat sensus ima pectora!  
Quali micabant gaudio exultantia  
Praecordia, et noua beatitudine  
Sinus tumescentes! Ab illo tempore  
In moribus VESTRIS magis cognovimus,  
Quae sint rubescenti genae Modestiae,  
Quid alma Virtus quidque corda candida  
Sint, quidque aperta frons, dolique nescius  
Vultus; quid aequa mens, serena in asperis  
Tumultuantibusque satis permanens,  
Nec, rebus ex optato euntibus, tumens.  
O centies semperque laetior dies  
Nobis — precamur et vouemus! — ille eât!



*Sed hic, amici, illo serenior dies  
 Nobis venit, fulgentis instar sideris;  
 Quo parta honoris palma VESTRA tempora  
 Cingit, sibi que vindicat Virtus suum  
 Locum. Micat corona VOBIS laurea,  
 VOBIS, anabela quos cupido provebit  
 Ad summa doctrinae cacumina, et quibus,  
 Quod ius piunique postulat, curae fuit.*

*Quid ergo mirum, si sonabit hoc die,  
 Nobis sacro, Fama hos fere in pares modos,  
 VESTRAS ad astra summa laudes efferens?*  
 „Phoebe, faue! veniunt bini ad tua templa ministri:  
 „Nunc dare te cytharae carminibusque decet.  
 „Nunc nitidus pulcherque veni! Nunc indue numen:  
 „Advena ne magnum vincat uterque deum.  
 „Nunc quae circumdat tibi tempora, deme coronam,  
 „Et propera meritis neçtere ferta viris.  
 „Inter mortales celebratur uterque magister;  
 „Sed tibi, coelestis Phoebe, minister erit. „







LECTIONES VARIANTES  
AD OVIDII ARTEM AMATORIAM.  
LIBER PRIMVS.

**I**ncipit prima codicis nostri a) pagina ab his characteribus:  
*I. H. S.*, quos quis nescit esse symbolum societatis Iesu?  
Sed a prima librarii manu, qui suum nomen nos ignorare noluit b) valde discrepant, quippe qui longe recentioris notae sunt. Nec mirum; quia librarii aetas ultra huius societatis originem adscendit, atque LXXXIV. annorum spatio ab eius primis iucunabulis distat. Forte quondam codicis nostri possessor fuit aliquis ex hac societate, cui haec signa, nescio quare, adnotare placuit.

3. *Remoque reguntur*: Burmannus, cuius lectiones nostris subiunximus legit: *remoque mouentur*, quae vera est lectio.

Ouid: Heroid. ep. 7. v. 147.

*Vt moueas remoque tuas uentoque carinas.*

Sic in Cod. Scriuer: qui uersus adumbratus uidetur ex hoc nostro loco, et Ep. 13. 101.

*Cum uenies ueloque moue remoque carinam.*

Virg. Aen. 10. 195.

*Ingentem remis Centaurum promouet* — —

Coniectura Ian: Vlitii, legentis:

A 3

Arte


a) Nam ars amatoria primum locum in manuscripto nostro sortita est, cuius descriptionem collegii nostri Director dedit in spec. 1. lectionum uariantium in Heroidibus Ouidii ex cod. Helmst. excerptarum. Helmst 1779.

b) Ab initio Hermaphroditi, operis maxima ex parte adhuc inediti, auctore Antonio Beccatello Panormita, quod Ouidii libris in codice nostro subiunctum est, hi characteres leguntur.

1450. O Fenix  
CZR NAHO

Idem nomen proficitur pag. 1. Iusium in Priapum, qui Hermaphroditum ordine excipiunt.





*Arte citae remique ratis uelique reguntur*

nihil habet, quo nitatur, eamque miror sese Burmanno probare potuisse, quippe quae teretes aures offendit. Praeterea etiam particula *et in remoque veloque* explicativa est, exponens per partes, quid sit in generali *arte*, uti saepe apud poëtas veteres. v. Ill. Heyne ad Virg. Georg. 2, 193. Aen. 1, 61.

4. *Levis; leves.* Illa antiquior forma est, quam a viris doctis praelatam video.

5. *Autumedon; Automedon.* Prius est emendatio recentioris manus, quae doctior fuit, multasque lectiones interlineares et marginales inseruit, quae ex veteri bonaeque notae exemplari manasse videntur; quod semel monuisse sufficiat. Nam prima manus exarauerat hoc monstrum:

*Automedori lentisque arat.*

Inperitus aliquis glossator adscripsit *Aobilles*, temere permutans Achillem cum suo *ἄντορα*.

11. *Philyrides praefecit; Philyrides-perfecit. Philyrides bene.* Nam geminatio liquidae consonantis metri causa melius pronuntiationi relinquitur; quam rationem sequuntur Ill. Heyne ad Virg. Aen. 5, 598. in V. L. et Ill. Brunck passim ad Apollon. Rhod.

Margini adscripta est glossa *Docuit.*

13. *Totiens; toties.* Solennis varietas in nostro codice, uti iam observavit Cunze, vir doctiss. in spec. suo ad epist. Heroid. 5, 132. Equidem hunc modum scribendi ortum fuisse puto e nota productionis, a librariis male intellecta, quam veteres longis syllabis adponere solebant. Hanc formam e cod. Mediceo ill. Brunck in splendidam Virgilii sui editionem reduxit. v. Corte ad Salust. lug. c. 106.

21. *Cedit; Cedet.*

23. *Arfit; Uffit.* Priorem praefero.

25. *Mentiar; mentior.*

26. *Mouemur; monemur.* Saepissime haec verba a librariis confunduntur. v. Drakenborg ad Sil. Ital. 2, 273. 5, 117.

*Monemur* praefendum mihi uidetur. Est enim vox propria de inspiratione deorum et responsis oraculorum. Ouid. Fast. 3, 167. Met. 15, 795. Ep. ex ponto l. 3. Ep. 4. v. 113. Tibull:





Tibull. 1, 6, 50 Tib. 3, 4, 5. Valer. Flaccus pr. Arg.  
Plin. Pan. cap. 76. *Consultare aues reuererique numinum mon-*  
*tus.* Hinc *monitorium fulmen* apud Senec. quæst. Nat. 2, 49.

27. *Cliosque: Chiusque.* Prior lectio, ni fallor, originem  
e consuetudine graecas terminationes per graecos characteres  
exprimendi, traxit. E *Clicus* fiebat *Clios*, (propter similitudinem  
*τς ω* et *ω*) et ex hoc *Clios* uel cum uel sine nota productionis. Apud  
Priscianum, qui libr. 7. p. 324. Virg. versum (Aen. 10, 199.) ad illu-  
strandam nominum Graecorum declinationem adducit, in  
unò libro peruetusto *Mantoy* (seu *Mantov*) exscriptum esse  
vidit Iacob: Fr. Heusinger; a) Quo mea sententia magis con-  
firmatur. Nec enim adlentior Heusingero, opinanti, Ovidi-  
um de industria Aeolicam dialectum sectatum fuisse. Saepissi-  
me hi genitiui, desinentes in *Os* in Codd. Mssptis reper-  
iuntur. b) Atque ex hac terminatione cum linea transuersa  
inperiti librarii sibi genitivos finxerunt, quos, ni me omnia  
fallant, pura et elegans latinitas nunquam agnouit; quales sunt  
*Didonis*, *Calypsonis*, *Heronis*.

Apud Ennium: *Poenos Didone oriundos.*

Apuleius Met. I.

*Calypsonis.* Reponendum est *Calypsus*.

Auct. anonymus Carm. 67. Lusuum in Priap:

*Penelopes primam Didonis prima sequatur.*

Auctoritate Vett. Codd. atque Helmstad. quem ipse in-  
spexi (ubi *Dido* exaratum est) lege:

*Penelopes primam Didus fac prima sequatur.*

Sic etiam apud Lactantium fab. 5. lib. 11. pro *Calistonis*  
scribe *Calistus*.

29. *Mouet hoc nauis c) parete perito: Mouet vati parete pe-*  
*rito.* Recent: manus *Vati*. Haec vestigia confirmare videntur  
suspicionem Iani Gebhardi lib. 1. Ant. Lect. 3.

Multi

- a) Quem vide in Heroïdum Ovidianarum emendationibus Guelserby-  
tanis. In Lessingii Beyträgen zur Litteratur 3ter. Beytrag, pag. 64.  
v. 3.  
b) Vid. Heusinger l. c. ad Ep. 6, 65. Ep. 10, 99. Ep. 15, 183. 217.  
c) Forte *gnavi*: Nam *gnavi* et *nauis*, *gnati* et *nati* in re non differunt.  
Sed verba *hoc nauis* proter puncta subscripta pro deletis habenda sunt.





Multi Codd. tesseram adiiciunt lectioni *monet*. Sed nihil novandum est. Vid. vers. 26. supra. Am. 3, 1, 6. Fast. 4, 820. Fast. 1, 268. Ep. 15, 4.

*Unde mouetur opus.*

Sic enim scribendum est, repugnante Burmanno, qui lect. *ueniret*, glossam sapientem, admisit. Fast. 3, 11. Am. 3, 1, 37.

31. Gloss. *Vittati*.

32. Gloss. *Vestis religiosa*. Minus bene. Infita est orbis, qui inferiorem stolae partem circumire solebat. Graece *περιποδιον*, *περιποδιον*. v. Scalig. ad Catull. p. 81. *Infita h. l.* pro stola longa posita est, cuius pars erat, atque haec pro stolata virgine. Haec enim duo signa seuerioris pudicitiae erant, vitta, et stola longa. Unde Tibull. 1, 6, 67.

*Sit modo casta doce, quamuis non vitta ligatos  
Impediat crimes, nec stola longa pedes:*

Praecipue vero poeta noster respicit virgines vestales, quarum praecipua insignia erant vittae. v. ill. Heyne ad Lib. 2, 5, 53. ad quem l. illustrandum egregie facit Ovid. Fast. 3, 30. 39. *Hic: haec*. Am. 3, 1, 26.

*Haec animo dices arca digna meo est.*

40. *Premenda: terenda*. De permutatione vocabulorum *petere*, *premere*, *terere* vid. Burm. ad Rutil. Itin. 1, 621. Noster Cod. sibi non constat. Nam vers. 52. legit *terenda*; lib. 2, 426. *tenenda*. Hoc loco mihi arridet *Premenda*. *Premere metam* idem est, quod Naso Am. 3, 2, 12. *metam stringere* vocat. Graece *ἐνχαρμηψαι*, *ρυσση*, vel *ἀκρον* *ἰνέσθαι*, (Hom. II. ψ. 334. 339.)

47. Prima manus non declinat a vulg. lect. Sed recentior tanquam var. lect. adscripsit:

*sunt apibus noti frutices.*

Eam ex vetustiori aliquo codice in hunc migrasse reor, quippe quam ex ingenio interpolatoris fluxisse, vix mihi persuadeo. Sed vulg. bene sese habet, cui hic fere sensus inest. Sicuti aucupes sciunt, ubi solitae avium sedes sint, in quibus laqueos et retia tendant; ita etiam tu non ignorare, sed potius ex me discere debes, ubi locorum, quod ames, reperire possis. Non semel amatoriae artes cum aucupio apud vet. poetas comparantur. Plaut. Afin. 1. 3. 68.

51.



51. *Ventis: vento.* Illud ποιητικωτερον.  
Sic Ouid. Met. 1.

*Vela dabant ventis.*

Virg. Aen. 3, 9. Ouid. ep. 7, 171. Ep. 3, 58. Met. 7, 40.  
Ep. 2, 25, et sexcentis aliis locis, ubi semper *ventis*.

53. *Portavit: Portavit.* Posteriores lectionem Heinſius  
contra communem codd. conſenſum abſque neceſſitate inue-  
xit. Si quid mutandum eſſet, malle:

*Andromedan Perſeus nigris portavit ab Indiſ:*

*Rapta fuit Phrygio Graia puella viro.*

55. *Namque dabit Roma formoſas puellas: tamque dabit  
formoſas Roma puellas.* Namque praefero, quod omnes codd.  
praeter unum Scaligeri tuentur. Non enim ſermo eſt de pul-  
chritudine, ſed de numero puellarum, uti verſ. 56. ſatis do-  
cet. Attamen ex meo ſenſu particula copulativa *namque*, pe-  
deſtrem ſermonem nimis ſapiens, melius proſuſ abeſſet. Si  
veſtigii noſtri cod. inſiſtere licet, forte legendum eſt:

*Tot tibi Roma dabit formoſas, crede, puellas.*

Id, ni fallor, propius ad Ouidianum colorem accedit.

57. *Mebina: Methymna.* Gloſſ. *Inſula Graeca, fertilis uvis.*

60. *Sua: Sui:* Vulg. bene. Am. 1, 8:

*At Venus Aeneae regnat in urbe ſui.*

Heinſius hoc diſtichon non eſſe Ouidianae notae contendit, ex  
rationibus mihi ſane non ſatiſfacientibus. Offendit eum ὁμοιο-  
τελευτον in *ſtellas-puellas*. Sed talis ἀφελεια etiam optimis poë-  
tis condonanda eſt, ut Hom. II. 2.

*Εσπετε γυν μοι μεσαι, ὀλυμπια δαματ' εχρασαι.*

Ouid. Met. 5, 164.

*Tigris ut, auditis diuerſa valle duorum*

*Exſtimulante fame mugitibus armentorum.*

Etiam apud Vigilium, limatiſſimum poëtam, talia hemiſti-  
chia, in eadem ſyllaba deſinentia, occurrunt.

Nec video, cur Heinſius verſ. 60. ideo ſuſpectum putet,  
quia ex alio loco adumbratus ſit. Namque non ſemel Oui-  
dus in operibus ſuis ſe ipſe imitatur, uti ſupra verſ. 3. vidi-  
mus. Immo bis terue integri verſus apud Naſonem occur-  
runt.





61. *Iuvenilibus: crescentibus.* Manus rec. tuetur lectionem *crescentibus.*

62. *Vera* explicatur a nostro glossatore per *valde iuuenis.* Atque sic interpretatur Burm. Equidem mallet intelligere puellam *re vera* adhuc intactam, cuius virginitas illibata est. Opponitur *vera puella falsae*, quae virginitatis speciem simulat. Nam poetae saepius *virginem* et *puellam* adpellant, quae nupta est, vel peperit. Virg. Ecl. 6, 47. Horat. 3, od. II. v. 35. Ouid. Her. 1, 115. Pari modo *παρθενος* apud Graecos usurpatur.

64. *Cogeris et voti: Cogeris voti.* Cum Heinſio legendum puto *cogere et voti.*

65. *Gravis et: sera et.* Posterioris lectionis numeri ad rem aptiores, eique conuenientiores sunt, qui eam rhythmo exprimunt. Rec. man. *sera et.* Tibull. 1, 4, 33.

*Vidi ego iam iuuenem, premeret cum senior aetas  
Moerentem stultos praeteriisse dies.*

Cf. Gronov. obs. 2, 19.

73. *Quaeque: quaque.* Placet *quaque.* Locus scholiaetae, quem Heinſius laudat, corruptus et mutilus mihi videtur.

Scholiaetae noster hanc glossam addidit: *Ista fuisse ibi picta;* quam sententiam, ab Heinſio satis confutatam, foverunt etiam Scaliger et Passeratius, opinati, picturam Danaidum in porticu fuisse suspensam.

74. *Belides stricto: Belides et stricto.* Illud ferri potest; modo sic distinguatur:

*Quaque parare necem miseris patruelibus ausae:  
Belides stricto stat ferus ense pater.*

Graece Βηλιδης, filius Beli. Virg. Aen. 2, 81.

— — *si forte tuas peruenit ad aures*

*Belidae nomen.*

Legi etiam potest:

— — *patruelibus ausae*

*Beliades: stricto stat ferus ense pater.*

Haec forma apud Senec. occurrit in Herc: Oet. v. 960.

*Stricto cruenta Belias ferro stetit.*

Sed quam Burm. formam feruat, eam praeferebam duco, quia Ouid. familiarissima est. Met. 4, 462.

Glossa





Glossa ad nostrum locum est *Danaus, Aegistus*. (l. *Aegyptus*.)

76. *Viro: Syro.*

77. *Nec fuge lanigeræ Memphitica templa: (rec. m. sacra.)*  
*Neu fuge linigeræ Memphitica templa.* Innumeris locis Hein-  
 sius evincere studet, non *lanigeræ* sed *linigeræ* legendum esse.  
 Quidam *Niligenæ*; atque sic ep. ex Ponto 1, 1, 51. in quibus-  
 dam codd.

*Vidi ego Niligenæ numen violasse fatentem*  
*Isidis.*

Sed hanc lect. in qua omnibus fere in locis, ubi occurrit, codd.  
 inter se pugnant, inprobat Heinsius, eumque secutus Bur-  
 mannus, cum Io non ad Nilum sit genita. Equidem eam non  
 adeo contemnendam puto. Nam Iupiter Ionem, iam vac-  
 cam, iterum ad Nilum in virginis pulcherrimæ figuram mu-  
 tavit; ita ut redacta in pristinam hominis speciem quasi ite-  
 rum nata, (*ad Nilum genita*) et *παλιγγενεσίαν* subiisse videretur.  
 Cf. Apollodor. l. 2, cap. 1. pag. 80. ed. Heyn. Moschus  
 id. 2. de hac re ita canit.

— — *Τὴν ἑπταπόρον παρὰ Νείλω*

*Ἐκ βοῶς ἐνκεραῖοι πάλιν μεταμοῖβε γυναῖκα.*

Itaque non male in uno cod. *Niliacæ*, quod glossæ *τῆς*  
*Niligenæ* esse videtur. Nuper de hac lect. disputavit Alb.  
 Christ. Meineke V. Cl. a)

78. *Illæ: ipsa.*

79. *Possit: possit.*

80. *Foro est: foro.* Gloss. *To arguto* explicat per *clamoso*.

81. *Quæ: qua.* Semper fere noster cod. in hoc pronomi-  
 ne errat. v. vers. 73. *Qua* ad indicandum locum situmve ali-  
 cuius rei etiam in pedestri sermone non raro adhibetur. Pomp.  
 Mela 1, 3. et *Tanai ad Hellepontum, qua ripa est dicti amnis*.  
 Ibid. c. 2. *Fit ripa, qua Tanais est.*

82. *Expressis.* Gloss. *emissis*.

83. *Amore: amori.* Gloss. *To consultus* explicat per *sapi-  
 ens*. Minus bene. Intelligentur iurisperiti.

86. *Sua: sui.*

88. *Dicens: cliens.*

B 2

89.

a) In epistola gratulatoria ad Herm. ab Uffel. Ienae 1783.





89. *Venerare: venare.* Rec. m. *venare.*

91. *Quo: quod.* Nostro cod. Francii coniectura confirmatur:

— — *quo ludere possis.*

quod elegantius et rei aptius esse videtur. *Ludere* est verbum amatorium, uti apud Graecos *παιζειν*, *ἀφροδισιαζειν*. Art. A. 2, 391.

*Ludite, sed furto celetur culpa modesto.*

Cf. Heinſius ad ep. 17, 16.

92. *Simul* tanquam var. lect. pro *semel* recent. manus notavit. Non male. Hunc versum ex variis variorum codd. vestigiis ita constituendum puto:

*Quodque, simul tangas, et retinere velis.*

Burmanni explicatio nimis arguta mihi videtur.

In quibusdam exemplaribus legitur *quam*, contra consuetudinem Ouidii. Cf. Heinſius ad ep. 12, 31.

93. *Vtque redit: ut redit.*

95. *Aut ut apes solitos suos: aut ut apes saltusque suos.*

*To solitos* ex antecedente versu male repetitum est, ubi tamen mallet *solidum cibum* i. e. grana dura, nec exesa, qualia formicae sibi semper eligunt. Forte etiam integrae nec adhuc contritae fruges intelliguntur. Sic Fast. 6, 381.

*Quodcumque est Cereris solidae, caua machina frangat.*

Heinſius non damnat penitus lectionem: *olentia pascua*; mininum tamen abest, quin *Hymettia pascua* reponendum cenſeat. Sed *olentia arva*, *odorata pascua* passim apud poetas veteres occurrunt, et huic loco melius conveniunt, quam inportuna illa *pascua Hymettia*. Nec ego consentio cum Heinſio, lectionem *umentia mella* infra damnante. *umentia* sunt, quae ab Horatio *roscida*, a Virg. *liquentia*, a Graecis *νεορρυτα* vocantur. Anthol. Brodaeii et Obsopaei (Francos. 1600.) pag. 179. v. 15.

*Λευκα πολυτηταιο νεορρυτα καλλει κηρα.*

Praeter eos locos, quos Heinſius adduxit, etiam apud Martialem 11. ep. 43. *Hylea* et *Hymettia mella* occurrunt; sed ex eo neutiquam sequitur, eadem etiam Ouidio esse obtrudenda.

97. *Ad: in.* Met. 3, 715.



100. *Iste: ille.*

102. *Vidit: iuuit.* Rec. manus *iuuit.* *Vidit* placet, ita ut per *viduos viros* intelligantur Sabini, quos Sabinae viduos esse viderunt.

109. *Notat: notant.*

112. *Lydius: Ludius.* Gloss. *A loco bistrio.*

114. *Pretenda: petenda.*

119. *Lege: more.*

125. *Dicuntur: ducuntur,* et sic rec. manus.

Ad verba *genialis praeda* gloss. *Scilicet tori matrimonialis.* *Genus* in thes. Latinae linguae intelligit *Sabinas in toro genialis mox collocandas.* Heinsf. et Burm. emendant *genialis*, omnibus codd. dissentientibus. Non opus mihi videtur. *Geniale* enim omne id nobis est, quod genio nostro non repugnat, quod lautum, festivum et totum ad nostros sensus est. Haec signif. h. l. optime quadrat, nec raro obuia est apud poetas.

127. *Repugnabat negabat: repugnavat negarat.* Versus. 130 et 131. post 136. perperam transpositi sunt.

137. *Arcana* prima manus. Alia *secreta* pro var. lect. adiecit, quae vox a pura Nafonis latinitate aliena est; nam, substantive adhibita, occurrit demum apud Quint. Sueton. et Tacitum. Ouid. semper *arcana.* Met. 2, 639.

— — *fatorum arcana canebat.*

138. Prima man. *accipienda*, sec. *adspicienda*; Illud genuinum est ex analogia *re dare nutus* seu *notas.* Her. 16, 256. et 17, 81.

*Accipere* cum *aspicere* saepisse in MSptis permutatur. Cf. Drakenb. ad Sil. Ital. 5, 573. Burm. ad Quint. decl. 15. 14. pag. 321. Eadem permutatio nocuisse videtur ep. 15. v. 1. ubi multi Codd. apud. Heusingerum l. c. legunt:

*Numquid ubi aspecta est — —*

Equidem mallet.

*Numquid ubi accepta est —*

Hanc emendationem contextus postulare videtur.

139. *Ad dominam: a domina.* A vulg. lect. non recedendum videtur. Dura est coniectura Heinsfii. *A. h. l. pro iuxta.* Haec enim praepositio saepius ordini denotando intervit. Trist. 5, 8.





*Haec sunt a primis proxima uota meis.*

Fast. 6, 32.

*Haec illi a coelo proxima terra fuit.*

140. *Qua: quam.* Cf. Heinf. ep. 13, 41.

141. *Tangit: iungi.* Illud sec. manus deleuit, et hoc substituit. *Linea* gloss. explicat per *Ordo*. Sunt nempe lineae *υεφουρα*, per quas sedilia transuerso ordine disposita sunt.

Gloss. *Et hoc latus lateri linea interveniente bene adhaeret, si nolit tangi.*

142. *Qua: quod.*

147. *Aut-certantibus-epbebis: At-coelestibus-eburnis.*

148. *Tu a sec. manu mutatum est in tunc.*

154. *Affer in munda: Effer immunda.*

160. *Pulvinar supposuisse: Pulvinum composuisse.* *Pulvinaria*, quia tantum in sacris locum habent, hic non admitti possunt. Sic enim vet. gloss. *Pulvinar καθιδουρα, ερωμνη θεου.* Cf. Casaub. ad Sueton. vit. Dom. cap. 76.

161. *Profuit et ventos tenui movisse flabello: Profuit et tenui ventum movisse tabella.* Sonantior prior versus, atque ita Cod. Palatinus Heinfilii, a quo noster raro recedit. Itaque inducor, ut credam, hunc ex illo, vel utrumque ex uno fonte manasse. Id magis adparebit, si quis velit eos inter se in his locis comparare. Art. Am. I, 77. I, 319. I, 29. I, 86; et sexcentis aliis.

Id dolendum sane est, quod Heinsius, aliique critici, qui de Ouidio bene meruerunt, codd. suos non accurate descripserunt, eosque certis notis insigniuerunt. Nunc enim si quis velit genesin Codd. Ouidianorum, atque historiam textus Ouidiani, quae frustra adhuc desiderata est, concinnare; is omnes huius poetae libros manu scriptos et impressos retractare, atque insano labore ea colligere debet, quae hi critici absque multo negotio, et quasi in transcurso monere potuissent. Primas laboriosi huius operis lineas adumbravit b. Ernesti, a) quas si quis, difficultatibus non perterritus, continuare, atque, qua fieri potest, ad finem perducere velit, ei indi-

a) in praefatione ad Ouid. ed. Lips. 1773.



indico Sylvii cuiusdam editionem, ad Manuscriptorum fidem expressam, nec ab Heinſio nec a Burmanno inspectam, quam nec in elenchum edit. Bipont. relatum inveni. Est formae minimae; nunc autem mihi non ad manum.

Caeterum Heinſius ad hunc locum bene monet, frequentissimum in codd. esse errorem *vella* pro *bella*. Ita etiam *velle* pro *belle* apud Petron. fragm. 20. v. 6. quem l. frustra viri docti, nuperque Antonius sanare studuerunt. Vulgo:

*Id nisi velle subest, gratia tota perit.*

Sermo est de sermonis gratia. Sed ex hoc versu nemo commodum sensum extricare poterit, nisi qui singula verba in vana commenta detorqueat: Quovis pignore legendum esse contendo:

*Id (sc. sermonis gratia) nisi, belle, subest, gratia tota perit.*

*Subest* eleganter. Sic Cic. de Orat. c. 6. §. 20. *Cognitio, quae nisi subest.* In eadem re Graeci verbis *πρωτείναι* et *πρωεῖναι* utuntur. Hom. Il. 8, 294. Cf. quos Kochler laudat ad Simonidis carm. *πρωεῖ γυναικῶν*. V. 52.

165. *Illā et: illa.*

169. *Sentit: sensit.*

170. *Vulneris: muneris.* Hoc melius. Cf. Clav. Ciceron. Ernest. sub. v. *munus*.

Sequentes quatuor versus ab oscitante librario omiſsi et post versum 190. reiecti sunt, ubi satis inportunum locum tenent. Sed manus rec. eos, iusto ordini locoque restitutos, in margine post v. 170. notavit.

171. *Est modo cur belli navalis in imagine: Quid? modo. cum belli navalis imagine.*

172. *Persidas duxit Cecropiasque: Persidas induxit Cecropidasque.* Utrumque recte: Nam huius generis voces quadruplici modo flecti solent. Sic *Ionius*, *Ionis*, *Ionias*. Stephanus in *Ἰωνία*, ὁ ἰωνῶν ἰών, καὶ ἰωνίς, καὶ ἰωνίς. Sic *Persicus*, *Persius*, *Persis*, *Persias*; *Cecropicus*, *ius*, *is*, *ias*. Ex hoc canone omnes, quas Heinſ. et Burm. ad ep. 3, 71. et 9, 73. congesſerunt, formae diiudicandae sunt. Qui autem omnia ibi cumulata exempla attente perlustraverit, is Ouidio familiarissimam formam, quae cadit in *is*, esse reperiet, quam in-





primis cum substantiuis foeminini generis coniungere solet. Itaque Burmannum sequor.

173. *Namque; nempe.* Per utrūmque mare glossator noster intellexit *mare superum et inferum*, uti Crispinus. Cf. Schraderi emendatt. c. 4. p. 83. et Cl. Iani ad Horat. 3. Od. 2. v. 11. in V. L.

174. *In orbe: in urbe.*

176. *Heu heu: Eheu.*

177. *Domitor: domito.*

181. *Annis: armis.* Vulgaris error. Cf. Drakenb. ad Sil. Ital. 2, 94.

186. *Mala: male.*

192. *Annis: (rec. man. animis) animis.* Priorem lectionem Massonus<sup>a)</sup> explicat per *Adoptione Augusti.*

194. Prima man. *Hunc; sec. nunc.*

195. *Caefos: laefos.* Pari modo confunduntur hae voces Her. ep. 12. 130. apud Heusingerum l. c.

Glossat. noster Crassos, alii intelligunt Tiberium. Utrūque male. Innuat poeta Caium, quia Tiberius, Lucio et Caio iam mortuus, in Caesarum familiam adoptatus est, uti recte Mycill. ad v. 177. monet. Sueton. in vit. Tib. c. 15. *Caio et Lucio intra triennium defunctis, adoptatur (Tiberius) ab Augusto.* Sed qui sunt *fratres caesi*? Caius unum tantum fratrem habuit, qui in expeditione contra Parthos mortuus est, nempe Lucium. Agrippam enim Augustus nunquam ad publicos honores promovit, teste Sueton. vit. Tib. 22. Aug. 65. Quid? quod *caesus* de violenta ferri morte solet usurpari, ita ut h. l. nullo modo ferri possit.

*Laesi* ideo dicuntur, quia Parthorum excursionibus crebrisque invasionibus iura Quiritum, ergo etiam fratrum Lucii et Agrippae, laesa erant. Verum enim vero Lucius tunc iam fato functus erat, quod ex Seneca discimus; quomodo itaque defendi poterit:

*Cum tibi SINT fratres — —*

Equidem mendum latere, atque ita h. l. emendandum puto:

*Cum tibi sint laesi fratres, ulciscere laesos.*

Tales

a) In vita Ouidii pag. 113.



Tales geminationes eorundem verborum non raro oscitantia librariorum in codd. irrepserunt.

197. Pr. man. *tuusque*; altera *tuisque*.

198. *Inviſto*; *invito*. Nescio, an *invito* apud Burm. quo nihil frigidius, mentum typographicum sit. Trist. 5, 1, 41.

*Lenior invicti si sit mihi Caesaris ira.*

200. *Stabit*: *stabunt*.

203. *Munera* pr. man. In spatio interlineari hae variae lectiones adpersae sunt: *Numen*, *nomen*, *lumen*, de quarum permutatione v. Drakenborg ad Sil. Ital. 8, 233. Apud Claudian. epigr. 5. v. 4.

*Ultra Pegaseas nomen habebit aquas.*

Vulgo. *numen*. Claudian. in carm. in Amphinomum et Anapin fratres vers. 28.

— — *juvenum lumina, vota senum.*

Ibi cod. Helmst. legit *numina*.

204. *Nobis alter et alter erit: Vobis alter es, alter eris.* Malle.

*Est deus e vobis alter, et alter erit.*

207. *Aciesque* pr. man. sec. *aciesque*. Priorem lectionem Burm. servat. *Acies* vero *νοῦτοι κωτεροῦ*. Virg. Aen. 1.

*Eoasque acies.*

Quid. Met. 13, 207.

210. *Adverso*: *averſo*.

211. *Quid fugis - quid victos*: *Qui fugis - quid victo*. Priorem lectionem plane Heinsius adspernatur, atque coniecturam, ingeniosam sane, substituit. *To Victos* forte de Parthis ipsis intelligi posset. Ovidius nempe, in divinationes abreptus, Parthos iam in fugam conversos videre credit, atque eis acclamat: „Quid fugam, Parthi, capeſſitis? Quid victos vestros commilitones, et iam captivos Romanorum deseritis? Scilicet, ut vincatis, (ironice) Itaque malle ita distinguere:

*Quid fugis? Ut vincas, quid victos, Parthe, relinquis?*

Certe cum hac interpretatione non male cohaerent sequentia.

218. *Illa*: *ista*.

219. *Tum*: *cum*.





225. *Hos fac Armenios, haec est Dampneia: Hos facito Armenios, haec est Danaeia.* Gloss. *A Dane.* Man. recent. tanquam var. lect. hoc hemistichium notavit:

— — *haec est Sigeia tellus.*

Male. Sunt haec verba repetita ex ep. 1, 33.

*Hac ibat Simois, haec est Sigeia tellus.*

230. *Quod deinde: quod inde.*

231. *Positis-abducta: positi-adducta.* Gloss. *Amor saepe fuit ore violentus. (l. vinolentus).*

234. *Cepto: capto.* *Ceptus locus est, cui ab initio insistere coeperat.* Ouid. ep. 6, 126:

*Sed tenuit coeptas saeva noverca vias.*

Ubi eadem varietas apud Heusing. loc. cit. Burmannus in defendendo *capto* ambitiose doctrinam iactat.

235. *Madidas velociter excutit alas: Pennas velociter excutit udas;* atque sic rec. man. in cod. nostro, quod praefero, quia iam praecesserunt *bibulae alae.*

237. *Coloribus: caloribus.*

241. *Secreta: mentes.* Priorem lect. locum habere non posse, iam supra v. 137. monui. Ouid. Fast. 1. 447.

*Dique putant mentes vos aperisse suas.*

*Pectus apertum* apud Cic. in Laelio occurrit; *Aperire alicui suos sensus* apud Corn. Nep. 10, 8, 2.

244. *In venis - In vinitis.*

251. *Degenitus: Rec. man. De gemmis.*

255. Pr. man. *Bayas.* Sec. var. lect. addidit *Cumas.* (Gloss. *ubi balnea.*) *Cumanarum thermarum* mentio fit apud Liv. 41, 16. pr. Sed *Baiae* apud veteres magis celebratae sunt, ubi ingens hominum multitudo confluit; ubi amatori occasio suppeditata est, puellum suam salutandi, cum ea confabulandi, atque *Veneri* magis indulgendi. Sueton. in Aug. c. 64. memorat, Augustum quondam Lucio Vinicio scripserat, *parum modeste fecisse eum, quod filiam suam Baiae salutatum venisset.* Prop. 1, 2, 30.

*Ab pereant Baiae crimen amoris aquae.*

Seneca ep. 51. eas *diversorium vitiorum* adpellat. Cf. Andr. Baccius de thermis.

Prope



Prope Baias portus Iulius situs erat, ' cuius littora Ovidius recte *praetexta velis* vocat. Audiamus enim Sueton. Aug. 16. qui nostrum locum mire illustrat: „*Portum Iulium apud Baias effecit, (Augustus) in quo cum hieme tota copias (navales) exercuisset, — Pompeium superavit.*„ Omnia ergo pro retinenda hac lect. inter se conspirant, et supervacanea est coniectura Gronovii:

— — *praetextaque littora villis.*

Fragm. Oxon. apud Heinsf. legit. *Bais*, quod nihil aliud est, quam *Baias*, e compendio cum linea transversa ortum; non *Baulis*, ut Heinsius vult. Hae enim thermae post Ovidii tempora demum inclaruere.

258. *Hic: haec.*

260. Gloss. *Mos duorum sacerdotum pugnandi singulis annis. Vnus alterum interficiebat. Ad quod spectandum plures puellas et iuvenes conveniebant.* Huius rei memor esse debet, qui ep. 12. v. 67-89. penitus intelligere vult, ubi poeta hoc nemus Dianae, ibique habitas amantium conversationes, totamque hanc scenam Romanam in remotam atque barbaram regionem transfert, et quidem non sine insigni artificio, quia huius patrii loci descriptio magis ad Romanos pertinebat, eorumque animos magis capiebat, quam si poeta sibi locum pro arbitrio finxisset.

261. *Illam quidem virgo, quia: Illa quod est virgo, quod.*

262. Rec. man. *ames.*

264. *Talia vesta: Vesta Thalía.* Sec. man.

— — *Talia nostra modis.*

quod mihi genuinum nostroque poeta dignum videtur, modo scribatur:

— — *nostra Thalía modis.*

Vulg. lect. ultra molles Nasonis elegos ascendit, et sublimi cothurno accommodatior est.

Am. 3, 1, 37, ubi de Musa sua loquitur:

*Imparibus tamen es numeris dignata moveri.*

Trist. 2, 1, 220.

*Imparibus legeres carmina facta modis.*

268. *Adesto: adeste.*





273. *Blande iuveni: iuveni blande.* Post v. 277. series carminis luxata est, quam tamen sec. manus ope praefixarum litterarum a b c restituit.

278. *Aget: agat.*

279. Pr. man. *adiungit*; sec. *admugit.*

280. Pr. man. *adinguit*; sec. *adbiunit.*

281. *Parcior: fortior.*

284. *Et laqueo: et est laqueo.*

286. *Tecta: pressa.*

287. *Illius lacrymiis: Illius et lacrymis.*

293. *Gnosciates: Gnosfiadesque.* Male *Gnosciates.* i. e. *Gnosfiades.* Το σ enim non geminari debet. v. Brunck. ad Apoll. Rhod. 4, 434. In nummis et lapidibus *Κνωσος.* Eadem macula detergenda est Floro 3, 7, 4.

Quidam libri *Cydoniadesque*, quod descendendit a *Cydonia.* Varias enim huius urbis formae apud veteres scriptores reperiuntur: *Cydonea*, *Cydon*, *Cydonia*, e quibus duas posteriores damnat Salmasius ad Flor. 3, 7, 4. pag. 283. Num recte? dubito. Namque etiam apud Solinum cap. 16. occurrit *Cydonia*, nisi etiam hoc loco mavis scribere *Cydoneam* seu *Cydoniam.* *Cydonea* ulimatissima forma est. Sil. Ital. 10, 261;

*Ecce Cydonea violatus arundine — —*

Hinc *mala Cydonea* apud Plin. 15, 11. pr.

Sec. man. in cod. nostro legit: *Sidoneaeque*, forte metri sustentandi gratia.

297. *Haec quae centum: haec centum quae.*

300. Pr. man. *Subsecuisse*, sec. *substinuisse*, quod e vers.

294. male repetitum videtur. Callimach. H. in Dian. v. 163.

— — *παρὰ δὲ σφισί (cervis) πάλυ νεμεσθαί*

*Ἡῆς ἐκ λειμώνος ἀμψαμεναί φορεουσιν*

*Ωκυδοον τριπετηλον.*

301. *Nec illam: nec ituram.*

303. *Quid: quo.*

304. *Ille: iste.*

309. *Placeat: placet.*

312. *In Aonio: (gloss. Thebano.) ut Aonio.*



318. *Luxit*: *iussit*, atque sic man. sec.

*Curva*: *panda*. Gloss. *Cum quibus taurus coibat, has aut ad iuga, aut ad aras deportavit.*

319. *Mentitaquè*: *commentaque*. Man. rec. *omentaque*. *Mentita seu commenta sacra* h. l. nihil aliud esse possunt, quam hostiae, quae fictis ac simulatis sacrificiis destinatae sunt. Huic autem sententiae v. 321. repugnat, ubi vera, non simulata sacra memorantur. Fictis enim sacrificiis quis numina placare potest? Quare lect. *omentaque* amplector, atque ita conicio:

*Dixit; et ingenti iamdudum de grege duci*

*Iussit, et immeritam sub iuga panda trahi,*

*Aut cadere ante aras; Omentaque sacra comedit,*

*Et tenuit laeta pellicis exta manu.*

*Omentum*, ἐπιπλοον, teste Plin. 11, 37. sect. 80. est *tunica, a qua ventriculus atque intestina integuntur*. Sacra vocantur quia cum reliquis extis ad sacros usus pertinebant. Passiphae vero furoris ergo vaccae omenta devorabat, atque inimicitiae causa contra hostem defunctam. Atque haec tam furiosa ingluvies Christianum quendam interpolatorem offendisse videtur, qui, falsa religione ductus, haec cruenta sacra eiecit, et ad detestandam gentilium superstitionem piam coniecturam substituit, quae Christianum aliquem magis decet, quam illam aetatem, qua haec cruenta sacrificia adhuc in usu erant. Nam pari modo Bachas, quibuscum nostra Pasiphae v. 312. comparatur, ita in furorem in sacrificiis, Bacho factis, abreptas legimus, ut ne crudis quidem carnibus abstinerent. Cf. Clemens Alex. Protrept. c. 2. Διονυσον μακρολην ὀργιαζεσαι Βακχοι, ἀμοφαγιατην ἱερταμνιαν ἀγροντες, και τελισκουσι τας κρεωμονιας των φο.ων. V. Taylor. ad Dem. Orat. περι σεφ. c. 79.

320. *Lecta*: *laeta*. Sec. m. *laeta*.

322. Sec. man. pro *meo* posuit *viro*. Male. Ita loqui Ouid. solet. Ep. 12.





*Vix me continui, quin sic laniata capillos  
Clamerem MEVS est.*

Ep. I. 83.

323. *Europem se: Se Europem.*

326. *Gloss. taurus.*

328. *Ab: O.*

331. *Nisi: Niso. Virg. Aen. 5. 845.*

Hic inserti sunt sequentes versus:

*Hunc bosem patitur cum reliquis avibus.*

*Altera Sila, maris monstrum, medicamine Circes.*

Pannus scholiastarum est, qui fabulam de utraque Scylla ad Virg. fidem (in Georg. I.) accomodarunt, qui Nifi filiam in avem mutatam esse dicit. Alii aliam ad h. l. de variis Scyllis sententiam in margine notaverunt, atque horum commenta postea in textum irrepserunt.

In nulla fere alia re vet. scriptores tam inter se discrepantes ac dissidentes inveniuntur, quam in fabulis de Circe et Scylla. Atque, ne vagus sim, unum hoc de Circe exemplum adduxisse sufficiat. Hanc nimirum alii deam esse statuunt, alii negant. Ouid. Art. Am. lib. 2. v. 124. eam aequoreis deabus accenser:

*Non formosus erat, sed erat facundus Ulixes,*

*Et tamen aequoreas torisit amore deas. a)*

Heinsius

a) Hunc locum sequitur Anton. Panorinita, qui in eleg. ad Lamolam (v. Lessing. I. c. p. 9.) ita canit:

*Vera moues, fateor, pulchreque adducis Ulixen*

*Fortiter aequoreas deseruisse deas.*



Heinſius legi vult *aequoream deam*, dubitans, an Circe poſſit deabus adnumerari. Strabo certe cum Ouid. conſentit pag. 342: *Εστὶ δὲ κατὰ τὴν Αἰθαλίαν λίμνην Ἀργαῶος ἀπὸ τῆς Ἀργεῦος, ὡς Φασί. Ἐκεῖσε γὰρ πλεῦσαι τὴν τῆς Κίρκης οἰκίαν ζῆτεῖν τὰ τοῦ Ἰασσῶα, τῆς Μήδειας ἐθέλοντες ἰδεῖν τὴν ΘΕΑΝ.* Ill. Brunck. ad Apollon. Rhod. 4, 658. p. 163. *perperam* Straboni *θεῖαν* pro *θεῶν* obrudit.

332. *Rabidas; rabidos.* Hoc recte. Fast. 4. 500.

*Et vos Nisaei naufraga turba canes.*

Amor. lib. 3. eleg. 12. v. 21:

*Per nos Scylla, patri canos furata capillos,  
Pube premit rabidos inguinibusque canes.*

Hoc distichon satis confirmat, quae pro damnandis versibus adulterinis v. 331. adduxi. Aliud enim ex altero expressum esse videtur.

333. *Terris, Neptunumque effugit in; terra, Neptunum effugit in.* 335. Pr. man. *cur*, sec. cui. 338. *Rabidi: pavidi.* 343. *Dubites; dubita.* 348. *Suis: suos.* 351. Pr. man. *captatae*, sec. *captandae*; et sic Burm. 352. *Molliet: molliat.* 354. Pr. man. *iocis*, sec. *locis.* 356. *Ex: e.* 357. *Leget: legat.* 366. *Tu facies: tum facias.* 367. *Repetens: pectens*; et sic sec. man. 368. *Addet: addat.* 373. *Iraeque residant* (gloss. *quiescant*): *Auraeque residant.* Etiam Trist. 4, 5, 20, haec voces in codd. confunduntur. 375. *Violare: vitiare.* 377. *Ad concubitum: in concubitu.* 379. *Hic: haec.* 383. *Sed: si.* 385. *Domina ut: domina.* 389. usque ad 392, a pr. m. omisso, sec. in marginem coniecit. *Tentassēs: tentaris.* 390. *Ista: ipsa.* 392. *Delapsis: de luxis.* Gloss. *cadentibus.* Non male. Forte *delapsus.* 393. *Abrepto: arrepto.* 395. *Noxia culpa: obnoxia culpae.* Illud exquisitius. 405. *Suberit: aderit.* 408. *Postas curvus: expositas circus.* Sec. man. *Circus.* 411. Pr. m. *desinitur*, sec. *desinunt.* 413. *Tum: tu.* 415. *Regundis: gerendis*; et sic rec. man. 416. *Viro; Syro.* Rec. m. *sacra.* 418. *Fit: sit.* 419. *Auferat: auferet.* 421. *Veniat: veniet.* Rec. man. *veniet succinctus.* 422. *Expediat: expediet*, et sic sec. man. 424. *Ema: emas.* 426. *hoc: nunc*, et sic rec. m. 428. *Nec: ne.* Rec. m. *invat.*





iuvat. 433. Reddenda: utenda. Rec. m. credenda. 435. ut deest.  
 438. Conscia: nuntia. 439. Mentitaque: imitataque, et sic rec.  
 m. 444. Quibus pr. man; sec. quilibet. 447. Si dederit: de-  
 devis. 452. Saepe: blanda. 454. Si: ne. 464. Voces: cerae.  
 465. Declamat: declamet. 467. Consultaque: consuetaque. 469.  
 Accipiat: accipiet. 472. Longa: lenta. Pr. man. Fama; rec.  
 frena. 477. Tu modo: modo. 481. Legisse: volet, voluit: vo-  
 luit legisse, volet. 482. Veniunt: venient. 488. Laetitia: le-  
 eticam; et sic rec. m. 489. Auferat: adferat, et sic rec. m.  
 491. Illa: illi. 495. Columnis: columnas. 497. Speciosa: spa-  
 tiosa. 499. Mirare: mirere. 501. Placidas aliquo: plaudas ali-  
 quam. Pr. m. puella; sec. puellae. 502. ut: et. 505. Ne: nec.  
 506. Ne: nec. Post v. 516. duo disticha desunt; sed ea man.  
 rec. in margine notavit. 519. Ut: et. 522. Laedat: laedant.  
 526. Fovet: favet. Forte:

— — flamma, qua calet ipse, fovet.

528. India fertur: Dia feritur. Illa lectio defendi potest.  
 534. Non: nec. 541. Post: in. 543. Tardo: pando; et sic rec.  
 man. 549. In: e. 552. Metu est: metu. 555. Felicior: fidelior.  
 557. habes: spectabere; habe: spectabile. habes male. Sed specta-  
 bere cum plurimis scriptis et editis fervo. Nam quomodo Ari-  
 adneum sidus spectabile possit dici, non video, cum una tan-  
 tum stella tertiae vel quartae magnitudinis in eo exsplendescat.  
 560. Pede: pedi. 561. Implacitumque: implicitamque; et sic rec.  
 man. Forte in aliquo vetusto exemplari: in placidoque sinu,  
 ut Met. 9. 338. Nec: neque. Illud sonantius. 562. Et: ut.  
 Hoc placet. Ignorabat nimirum auctor corruptionis rariorem  
 usum particulae ut, priscis saepe prout significantis. Cf. Heu-  
 finger l. c. ep. 2. v. 105. p. 18. 563. hymeneae vocat pars alte-  
 ra clamat bechion: hymenaeae, canunt: pars clamat, Evie, evoe!  
 Illa lectio non fugerat Heinsium. Communis codd. dissensus  
 indicare videtur, librariorum doctam aliquam nec in vulgus no-  
 tam lectionem invenisse, in qua acumen criticum exercere,  
 necessitatem sibi impositam putarint.





W 8155

(1)

W 18

ULB Halle  
007 668 651


3











B.I.G.

Farbkarte #13

LECTIONVM VARIANTIVM  
IN  
ARTE AMATORIA OVIDII  
EX CODICE HELMSTADIENSI  
EXCERPTARVM  
SPECIMEN I.

VIRIS  
CLARISSIMIS ET DOCTISSIMIS  
GEORG. ANT. CHR. SCHEFFLER  
DVICALIS INSTITVTI PHILOLOGICO - PAEDAGOGICI  
COLLABORATORI AC BIBLIOTHECAE ACAD. IVL.  
CAROL. CVSTODI

ET  
IO. LVDOLPHO MARTENS

DVC. INSTIT. PHILOLOGICO - PAEDAGOG. COLLEGAE  
ORDINARIO BIBL. ACAD. IVL. CAROL. CVSTODI  
ET SOCIETATIS DVICAL. TEVTONICAE  
HELMST. AB EPISTOLIS

CVM GRATVLATIONE  
SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

A. D. III. CAL. DEC. A. R. S. CIOIOCCCLXXXVI.  
AB IISDEM IMPETRATORVM  
NOMINE

SEMINARII PHILOLOGICO-PAEDAGOGICI  
OBLATVM  
AB AVCTORE

IO. ANT. LVDOV. SEIDENSTICKER.  
HANNOV. IVRIS VTRIVSQ. CVLTORE  
SEMIN. PHIL. PAED. COLLEGA.

HELMSTADII  
TYPIS IO. HENR. KÜHNLINI.

*ex donat. aus*